

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 4047

**Auteur(s) :** Sylvestre, Sées (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Saint-Wandrille-Rançon, Saint-Wandrille (abbaye)

**Bénéficiaire(s) :** Nicolas, Argentan (prêtre)

**Bénéficiaire(s) :** Argentan, Saint-Thomas (hôtel-Dieu)

**Genre d'acte :** lettre

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1208, 1 novembre-1209, 28 mars]

**Lieu d'émission :** Paris

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

S[ilvestre], évêque de Sées, notifie à l'abbé et aux moines de Saint-Wandrille, et à Nicolas, curé des églises d'Argentan, la charte du roi Philippe [II] confirmant les donations faites par Henri Le Maréchal à l'Hôtel-Dieu Saint-Thomas d'Argentan. L'évêque y ajoute la donation d'une charrette de bois à prendre chaque jour dans la forêt de Gouffern.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 164, p. 27 et p. 294.
- b. Boussard Jacques, Monicat Jacques, Samaran Charles, *Recueil des actes de Philippe Auguste, roi de France*, t. 3, années du règne XXVIII à XXXVI (1er novembre 1206-31 octobre 1215), Paris, Imprimerie nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France ; 7), 1966, n° 1055, p. 127-130.

## Dissertation critique

Datation proposée par BOUSSARD/SARAMAN/MONICAT, Recueil des actes de Philippe Auguste, t. 3, n° 1055, p. 127.

Texte établi d'après a

S., Dei gratia, Sagiensis episcopus, venerabilibus viris abbatii et conventui Sancti Wandregisili, patronis, et Nicholao, persone ecclesiarum Argenthomi, salutem in Domino. Transcriptum cujusdam carte, per marescallum de Argentomo a domino rege Francie impetratae, recepimus in hec verba :

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Philippus, Dei gratia, Franchorum rex. Noverint universi, presentes pariter et futuri, quod dilectus et fidelis noster Henricus Marescallus, dominus Argentomi, divine caritatis ductus intuitu, in ecclesia gloriosi martyris Thome de Domo Dei de Argenthomo constituit duos presbiteros, ad serviendum ibi Deo im perpetuum, pro salute anime nostre et predecessorum nostrorum, necnon et pro salute anime sue et antecessorum suorum et omnium benefactorum ejusdem loci. Illi autem duo presbiteri, de donatione ejusdem Henrici, in prepositura Argenthomi habebunt singulis annis XX libras turonensium, ad Pascha videlicet X libras, et

ad festum sancti Remigii X libras. Habebunt preterea III modios bladi ad mensuram Argenthomi, unum videlicet frumenti et duos ordei, quos similiter ad festum sancti Remigii percipient annuatim de campiparte de Argentomo, et, si forte bladum campipartis non sufficeret ad illos tres modios persolvendos, dicti presbiteri illos percipient in molendino ejus de Argentomo ad terminum supradictum. Concessit etiam dictis presbiteris, de assensu et voluntate pauperum dicte domus, ut ipsi tertiam partem beneficiorum, que ad missas advenerint quas ipsi in propriis personnis celebrabunt, tam in ecclesia Sancti Thome quam in ecclesia sancti Jacobi, percipient, preterquam in tribus festivitatibus, videlicet in festo beati Thome martyris, in nativitate sancti Johannis Baptiste, in festo sancti Jacobi, in quibus festis predicti pauperes beneficia illa integre habebunt. Et sciendum est quod a nativitate beate Marie in septembri usque ad vigiliam Omnim Sanctorum dicti presbiteri nichil accipient de beneficiis que ad predictas ecclesias fuerint adportata, nisi in ea que ad proprias manus advenerint cum missas celebrabunt. Quociens autem alter illorum presbiterorum decebat, ab altero superstite et a majore parte fratrum predice domus alia persona idonea, loco defuncti, et que ibi in propria persona deserviat, eligetur infra XLa. dies, et episcopo Sagii presentabitur, ut ibidem ab eo, sicut mos exigit, instituatur. Quod si infra predictum terminum XLa, dierum in idoneam personam convenire non potuerint, dominus Argentomi, quicumque ille fuerit, in loco defuncti presbiteri idoneum successorem, qui personaliter, sicut dictum est, ibi deserviat, providebit. Altero vero presbiterorum defuncto, quandiu vacabit capellania, quounque loco ejus alter instituatur, obventiones ecclesie, que ad defunctum, si viveret, pertinerent, erunt pauperum predice domus. De redditibus autem tam bladi quam denariorum, quas defunctus pro tempore deservierit, si de illis in testamento suo ordinationem fecerit, fiet id quod ab eo fuerit ordinatum ; ceterum, si nichil inde ordinaverit, quidquid de hiis ad ipsum pertinere debuerit predictis pauperibus remanebit. Nos autem, laudabilem attendentes predicti Henrici donationem, supradicta omnia, sicut continentur expressa, concedimus et approbamus, et insuper, ob remedium anime nostre et antecessorum nostrorum, damus et concedimus in perpetuum predice domui unam quadrigatam ad unum equum lignorum ad ardendum, singulis diebus percipiendam in foresta nostra de Goufer, per liberationem servientum foreste, in loco competenti, ubi minus dampni exinde fiet. Et ut hec perpetue stabilitatis robur obtineant, sigilli nostri auctoritate et regum nominis caractere inferius annotato presentem paginam confirmamus. Actum Parisius anno Incarnationis Dominice M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> VIII<sup>o</sup>, regni vero nostri anno tricesimo, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt et signa : dapifero nullo ; signum Guidonis buticularii ; signum Bartholomei camerarii ; signum Drochonis constabularii. Data, vacante cancellaria, per manum fratris Garini.

Vos igitur, si approbare cartam istam, vel in aliquo contradicere volueritis, coram nobis apud Sagium in crastino instantis festivitatis sanctorum martyrum Gervasii et Prothasii compareatis. Valete.